Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

in ligamentis cordis et musculis colli et spatularum immergitur. Et pars eius acuta satis dolorem efficit pungitivum, pars vero eius vaporosior musculis inclusa tentigationem facit que inclusa in poris appetens exitum movetur motu elevationis et depressionis in partibus particularibus musculorum, et hoc est formale tentigationis. ¶ Apparet igitur ex hoc fundamento quod cerebrum egrotat dupliciter, scilicet mala complexione frigida et humida flegmatis aquosi multiplicativa et mala complexione calida a vapore colerico ab epate comitata. Et est mala complexio diversa ut patet 2° de accidenti ca° de morbis generalibus membrorum complurium. Et ex hoc fundamento iterum apparet causa doloris in spatulis. Est enim mala complexio a materia descendente ad membra illa que causat in eis alterationem subitam, et eadem materia per qualitatem acutam ipsius dolorem facit pungitivum propter multitudinem eius dolorem quoque facit extensivum.

Signa frigida et humida stomachi

Sed tertio quod stomachus eius egrotat mala complexione frigida quod patet ex squaliditate coloris huius domine, 2° ex frigiditate apparente tactu exterius, 3° ex copia ventositatum et ructuum, 4° ex debilitate digestionis eius, et sic de aliis. ¶

Signa calida et sicca epatis

Et vero epar eius laborat mala complexione calida et sicca, apparet primo ex tactu ypocundrii, 2° ex velocitate et frequentia pulsus eius cum mollitie ipsius, 3° ex tinctura urinarum que secundum plurimum sunt ignee aut subignee, 4to ex superfluitate prime digestionis, que plurimum est sicca et citrina. 5to ex siti valida satis et perseverante. 6to ex tenuitate venarum. 7mo ex paucitate carnis cum raritate texture, et hec fere signa omnia possunt demonstrare caliditatem renum huius generose domine. Cum ergo multiplicatur in stomacho flegma, et etiam ab epate pellatur ad renes, etiam quia in renibus mala complexio calida per accidens est generativa humoris frigidi debilitatis digestiva. Ideo flata multa inventa in renibus a sua mala complexione calida genite inviscantur et conglutinantur ad invicem. Non est mirabile si in ea quoque generantur, et geniti sunt lapilli sicut patuit ad experientiam. Misit enim in civitate Padue lapillum unum grossum unius granum fabe modice. ¶ De sexto vero accidente dicendum quod flegma multiplicatur in stomacho et in epate propter debilitatem predictorum membrorum passignata per venam chili descendentem et per alias ab ea ramificatas que ingrediuntur corpus matricis in eadem multiplicatur cum fuerit in eadem matrice congregata per modum impressionis tristis irritatis virtutem ipsius ad expulsionem et totiens expellitur illa materia quotiens in matrice congregata irritat ipsam ad sui expulsionem. Sed continue fere aut valde sepe hec flata pelluntur ad matricem et irritant ipsam ad expulsionem. Quare ergo qualibet semper aut valde frequenter hec mulier laborat de fluxu materiarum albarum a matrice sua. Ex quo apparet quod ista improprie et false denominantur menstrua alba. Non enim in fine mensis multiplicantur et descendunt, pisti sic

Unde veniunt menstrua alba.

Menstrua alba non vere sunt menstrua.